

*sident, potius accedam illi qui Hugonis a Foliato esse censerit : is enim a Regula canonica divi Augustini ad rectiorem D. Benedicti transit, unde utriusque institutionis passim meminit. In vetusto autem exemplari, Hugoni priori canonico Sancti Laurentii in pago Ambianensi ascripta legi; quocirca mihi quidem adhuc sub indice lis est.*

## DE MEDICINA ANIMÆ

AUCTORE, UT VIDETUR,

### HUGONE DE FOLIETO.

#### PROLOGUS.

*De duplici curatione seu medicina, animæ videlicet et corporis, de qua in subsequenti agetur opusculo.*

Rogas me, frater charissime, ut ea, quæ de medicina animæ ad Joannem medicum scribere cœperam, tibi transmittere non omittam. Sicut enim dicis, ea multis utilia fore credis. Nec solum, si attente considerentur, animas incolumes servant, sed etiam corporibus humanis sanitatem præstant. Brevi siquidem sermone docent quæ corpori et animæ prosunt vel nocent. Tuæ autem discretioni notum cupio fieri quod ea quæ de medicina animæ scribere cœperam, per negligentiam, priusquam alibi scripta fuissent, amisi. Sed, charissime, ea, quæ ad memoriam reducere potero, sine dilatione tibi transmittere curabo. Nec mireris si ea, quæ multo labore quæsita suis in locis ordinaveram, minus ordinate et quasi quasdam excerptiones in unum collecta componam. Sed forsitan dicet aliquis : Nova sunt quæ requiris, hæc in divina pagina reperiuntur scripta. Imo quia quædam de his in divina pagina reperiuntur scripta, ideo ad ædificationem claustralium memoriæ commendata reliqui. In Evangelio siquidem de leproso, de paralytico, de febricitante, et de multis aliis legitur, qui a Domino mirabiliter esse curati prohibentur. Nec illud solum esse factum reor ad reparationem corporum, sed etiam ad ædificationem morum, et sanationem animorum, sed et in quibusdam aliis libris de oleo, de unguento, de collyrio quædam scripta reperi, quæ a sanctis Patribus spiritaliter intellecta cognovi. Neque enim erubui aliorum dicta huic interponere lectioni. Restat igitur ut petitioni tuæ satisfaciam, et quod diu distuli, debitum petitori reddam.

CAP. I. *De homine, qui microcosmus, id est minor mundus, appellatur.*

Homo microcosmus, id est minor mundus, appellari ab antiquis solet, quia per similitudinem majoris mundi figuram tenet. Potest autem assignari magna convenientia in compositione corporis humani et constitutione mundi. Unde cælum capiti, aer pectori, mare ventri, terra extremæ corporis parti assimilatur. In cælo Deus residet, et in

A capite hominis mens principatum tenet. In Deo sunt tres personæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus; et in capite humano tres potentiæ, intellectus, ratio et memoria. Sunt et in cælo duo luminaria magna, sol et luna; et in capite duo oculi, qui illuminant firmamentum faciei. Sol et luna diem et noctem illuminant, de rebus lucem cognitionis hominibus sua claritate præstant: oculi vero rerum imagines sua subtilitate in se suscipiunt, et sic de iis quæ videmus, per intellectum rationi nuntiantes nos certos reddunt. Similiter in pectore sicut in aere volant cogitationes quasi nubes, fit aliquando claritas lætitiæ, aliquando obscuritas tristitiæ, insurgunt illic venti tentationum, qui conturbant animum, diviso aere fiunt coruscationes iræ, sequitur ignis odii, id est combustio animi, qui quoties extensus ab alto, videlicet a prælato descendit, toties subjectos lædit. Has autem tempestates aliquando compescunt pluvie, aliquando nives, aliquando grandines. Quoddam enim placat sermo sanctæ exhortationis, quosdam leve blandimentum consolationis, quosdam vero asperitas increpationis. Sed et sicut aquæ in mari, sic collectio humorum in ventre solet congregari. Ibi ab hepate fit inundatio sanguinis, fit effusio fellis, fit etiam more Charybdis in pulmone emissio et attractio phlegmatis. Fit velut Circes splenis induratio. In tali igitur commotione maris, id est ebullitione ventris, fiunt æstuationes et ejectiones quædam, aliquando per superiorem regionem aliquando per inferiorem, et hoc per secessum, illud pervomitum. C Sicut enim mare nihil fetidum in se diu tolerat, sic venter quotidie cibo indigens, ne putrefactum diu contineat, se per secretum naturæ purgat. Similiter hominis extremæ partes, id est pedes, assimilantur terræ, quia sunt, sicut illa frigidæ et siccæ naturæ. Dum enim extremæ partes hominis ægrotantis frigescent, mortem annuntiant quia terræ, cujus naturam suscipiunt, appropinquant.

CAP. II. *De quatuor elementis mundi. De quatuor humoribus corporis humani, et de quatuor anni temporibus ad animum vel animam applicatis.*

Quatuor sunt elementa mundi, ignis, aer, terra et aqua. Quatuor humores corporis humani, sanguis, cholera rubra, cholera nigra et phlegma. Quatuor



vero tempora anni : ver, æstas, autumnus, hiems. Ignis est calidæ et siccæ naturæ, aer calidæ et humidæ, terra frigidæ et siccæ, aqua frigidæ et humidæ. Similiter sanguis calidæ et humidæ naturæ; cholera rubra calidæ et siccæ; cholera nigra frigidæ et siccæ; phlegma frigidæ et humidæ. Sic et ver calidæ et humidæ naturæ; æstas calidæ et siccæ; autumnus frigidæ et siccæ; hiems frigidæ et humidæ. Elementa igitur congruunt humoribus, humores temporibus. Sed et anima per similitudinem habere dicitur sua elementa. Pro igne utitur intellectus subtilitate; pro aere, mentis puritate; pro terra rationis stabilitate; pro aqua ingenii mobilitate. Ut animus de fide recte per intellectum sentiat, pure discernat, firmiter credat, sine mora fidei præceptis obediat, et sic bene operando sane vivat, quia *fides sine operibus mortua est* (Jac. II): necesse est igitur ut subtilitas temperetur puritate, puritas subtilitate, stabilitas mobilitate, mobilitas stabilitate. Ut enim ignis alta petit, aer medium tenet, sic cavendum est ne intellectus nimis alta sentiat, ne levitate subtilitatis a veritate discedat, sed detineatur puritate revocante et dicente: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. XII). Cavendum est etiam ne stabilitas dissolvatur per mobilitatem, vel mobilitas per stabilitatem, sed *velox sis ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram* (Jac. I). Similiter et animus utitur quatuor humoribus: pro sanguine utitur dulcedine; pro cholera rubra, amaritudine; pro cholera nigra, tristitia; pro phlegmate, mentis compositione. Dicunt enim physici sanguineos esse dulces, cholericos amaros, melancholicos tristes, phlegmaticos corpore compositos. Ut si dulcedo in contemplatione amaritudo de peccati recordatione, tristitia de perpetracione, compositio de emendatione. Est etiam attendendum, ne dulcedo spiritalis turbetur amaritudine temporali, vel amaritudo habita de peccato corrumpatur dulcedine carnali; ne utilis tristitia turbetur otio vel inertia, vel mens composita dissolvatur pro illicita. Sed et anima tertur habere sua tempora: pro calore æstatis utitur charitate; pro frigoribus hiemis, torpore tentationis; pro autumno et vere, temperantia et mediocritate. Esto igitur temperatus in corde, mediocris in opere: anima enim quæ temperamentum custodit, salubriter vivit.

### CAP. III. De phlegmate, et phlegmaticis.

Volo, prout potero, ad ædificationem animæ de quatuor humani corporis humoribus diligenter pauca disserere, ut ex affectibus humorum facilius dignosci valeant diversitates morum. In primis igitur de phlegmate loqui incipiam, ut a frigidis et humidis exordium loquendi sumam. Phlegma siquidem habet sedem in pulmone, cujus natura frigida et humida. Unde fiunt homines tardi et oblioviosi, atque somnolenti. Imitatur naturam hiemis naturam aquæ naturam decrepitæ ætatis. Purgationem habet per os, crescit in hieme. In hoc

A tempore melius se habent cholericus, pejus phlegmatici. Melius juvenes, pejus decrepiti. Pessima est infirmitas, quæ est ex phlegmate, ut est febris quotidiana, minus mala quæ fit ex cholera, ut tertiana: eodem bonum est uti calidis et siccis. Potest igitur natura phlegmatis assimilari compositioni mentis. Phlegma sedem habet in pulmone, quasi in discretionem. Compositio etenim mentis adjuvatur beneficio discretionis. Sicut enim pulmo aerem attrahit et emittit, sic discretio quod bonum est retinet, et quod malum est expellit. Frigidæ et humidæ naturæ dicitur esse. Est autem frigus, quo refrigeramur ab æstu vitiorum, et est humor cum-punctionis, quo mundamur a sorde peccatorum. De primo dicitur: *Remitte me, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero* (Psal. XXXVIII). De secundo autem: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (Psal. VI). Inde fiunt homines tardi, oblioviosi, et somnolenti. Tardi ad operandum malum. Oblioviosi, ut obliviscantur populum suum, et domum patris sui (Psal. XLIV). Somnolenti, ut in pace in idipsum dormiant ut requiescant (Psal. IV). Sed et aliter accipitur frigidum et humidum, ut in frigore intelligas torporem in charitate, in humore torporem in opere. Cum enim *abundabit iniquitas, refrigeret charitas multorum* (Matth. XXIV), et sic ex corrupto phlegmate, id est ex corruptæ mentis compositione, fiunt homines tardi ad operandum bonum, oblioviosi ut obliviscantur Domini Creatoris sui, somnolenti, ut si prævaleat inimicus, obdormiant in morte. Est etiam status mentis aquæ similis, quia inundatione est periculosus, fluctuatione turbatus, nutibus instabilis. Hiemis vero tempestates imitatur, tentationum etenim procellis lacesitur; similitudinem tenet ætatis decrepitæ, quia veteris hominis, id est Adæ, defectus et inobedientia vix recedunt a mente. Respirationem habet per os. Superfluitates siquidem mentis purgantur per os intimæ confessionis. Crescit et hieme, qua multiplicatur tentationum tribulatione. In hoc tempore melius se habent cholericus, pejus phlegmatici. Melius juvenes, pejus decrepiti. Juvenes et cholericus calidi et sicci sunt. Phlegmatici et decrepiti frigidi sunt et humidi. Qui igitur peccata sua deflent, nec tamen adhuc illo amore cœlestium succensi fervent, non est mirum si phlegmatici interpretantur. Tentationi citius et corruptioni subjacet illorum status mentis. Pessima est infirmitas, quæ fit ex phlegmate, id est ex propria mentis corruptione. Ex propria siquidem corruptione mentis nascitur quotidiana febris continuus videlicet ardor carnis. In hoc item tempore, id est in hieme, utendum est calidis et siccis, electorum procul dubio exemplis. Electorum etenim opera sancti Spiritus ardore sunt accensa. Notandum est quod frigus prædicti temporis contingere solet ex nimia remotione solis. Tunc enim sol intrat Capricornum, quod esse dicitur infimum signum. Nota naturam animalis unde signum nomen accepit, ut unde aliquid accipias moralitatis. Capra siquidem



similitudinem delinquentium tenet, quia sic capra ex corrupto per febrim continuam humore ut ex consuetudine peccandi peccator, fetet. Quæ tamen in altis rupibus pascitur, dum peccator verbis et exemplis sublimium virorum delectatur. In hoc igitur tempore sol Capricornum intrat, dum Sol justitiæ peccatorem sancti Spiritus radiis illustrat. Post Capricornum vero intrat Aquarium, ut fetorem carnis abluat lacrymis. Ascendit etiam usque ad Pisces, quod signum est tertium, et obtinet finem hiemis, ut sicuti piscis sub aquis, sic peccator vivat in lacrymis.

CAP. IV. *De sanguine et sanguineis.*

Post frigus et pluvias hiemis, post refrigerium videlicet et lacrymas compuncti cordis pervenitur ad veris temperiem, et aeris serenitatem, id est, ad puritatem mentis in novitate conversionis. Unde post illa, quæ de phlegmate diximus, ad ea quæ de natura sanguinis sunt dicenda, transeamus. Sanguis sedem habet in hepate, estque humidæ et calidæ naturæ, crescit autem in vere, in quo tempore mala est infirmitas, quæ fit ex febre quartana, pessimæ quæ fit et sanguine ut synocha. In hoc tempore melius se habent senes, pejus juvenes, melius decrepiti, pejus pueri. In hoc etiam tempore utendum est frigidis et siccis. Sicut superius diximus, sanguis est dulcedo contemplationis. Qui sedem habet in hepate quasi in suo fonte, in calore siquidem hepatis est locus fervidæ decoctionis, inde sanguis per membra dirigitur, ut eorum calore tertio decoquatur. Prima enim decoctio fit in stomacho, secunda in hepate, tertia in omnibus membris. Ex ardore igitur dilectionis quasi ex calore hepatis, more sanguinis profluit dulcedo spiritualia contemplantis. Est autem calidæ et humidæ naturæ. Calor ex amore, humor ex timore. Hoc calore et humore crescunt puri ii noviter conversi, qui assimilantur veri et aeri, id est, vitæ novitati. Crescit in vere. Cum enim aliquis noviter convertitur, spiritali dulcedine multiplicius delectatur. In hoc tempore mala est infirmitas, quæ fit ex melancholia, ut quartana. Pessima quæ fit ex sanguine, ut synocha; in initio etenim conversionis, dum delectatur animus contemplantis, si ex abundantia boni operis quasi inundatione sanguinis nascatur tumor elationis, tunc quasi ex corruptione sanguinis nascitur synocha febris, et contingit ut sanguis, qui est amicus naturæ, fiat inimicus vitæ. Dicunt enim physici synochos esse mortis amicos. In hoc tempore melius se habent senes, pejus juvenes, melius decrepiti, pejus pueri. Ex natura etenim consimilis temporis augmentatur materia infirmitatis. Cum vero in contrario tempore infirmitas temporis contraria nascitur, dolor contrariæ infirmitatis lenitur, quia contraria contrariis curantur. Ideo in vere utendum est frigidis et siccis. Ne igitur per desiderium vanæ gloriæ fervor sanguinis ebulliat, necesse est ut animus frigus tentationum, et sterilitatem siccitatis ad memoriam reducat, et utatur hujus bene-

ficio diætæ, ut sanior sit in vere, ne in initio conversionis appetatur amor laudis. Nota etiam quod in vere ex calore et humore temporis aperiuntur pori terræ. Procreantur diversi coloris herbarum flores, diversi scilicet generis virtutes, et fit quasi nostrum ver in nostra mente. Unde dicitur: *Æstatem et ver, tu plasmasti ea* (Psal. LXXIII). In vere intelliges noviter conversos, mansuetudine temperatos, in æstate proveciores igne charitatis ferventes. In hoc siquidem tempore sol ascendens tria signa fertur obtinere. Arietem in initio. Taurum in medio, Geminos in fine. Attende igitur in Ariete ducatum, in Tauro jugum, in Geminis consortium: ducatum prælationis, jugum subjectionis, consortium cohabitationis. Ut scias præesse, subesse, coesse. Discas etiam simul esse in timore et labore cum amore. Hoc est itaque temperantia veris, mansuetudo scilicet noviter conversæ mentis. Solet autem hoc tempus inconstans esse, modo pluviosum ex vicinitate hiemis, modo siccum, ex vicinitate æstatis, modo eadem ratione frigidum, modo calidum. Inde homines citius in Martio infirmantur, quia corpora humana nuper aperta ex novo calore statim corrumpuntur redeunte subito pristino frigore. Noviter siquidem conversi inconstantiae motu solent agitari, et licet corda eorum sint aperta novo calore dilectionis, corrumpuntur tamen quandoque subito frigore improvisæ suggestionis. Modo inundatione præcedentium delictorum quasi pluviis humectantur, modo vero desideria cælestium quasi solis radio desiccantur. Providendum est autem ne infirmitas, quæ in frigore hiemis orta fuerat, in Martio, id est, in initio conversionis revertatur, et ægrotantem occidat.

CAP. V. *De cholera rubra, et cholericis.*

Congruum, charissime, nobis videtur, ut post humorem sanguinis de cholera rubra disseratur. Cholera siquidem rubra habet sedem in χολή (chole), id est in felle. Natura ejus calida est et sicca. Unde fiunt homines iracundi, ingeniosi, acuti et leves. Est autem consimilis igni, æstati, calidæ juventuti. Respirationem habet per aures, crescit in ætate. In hoc tempore melius se habeat phlegmatici, pejus cholericis. Melius decrepiti, pejus juvenes. Pessima est infirmitas, quæ venit ex cholera, minus mala quæ est ex phlegmate. In eodem itaque tempore utile est uti frigidis et humidis. Oportet autem, sicut superius diximus, ut cholera rubra assignetur amaritudinis virtus. Sicut enim in sanguinem dulcedo, sic et in cholera rubra designatur amaritudo, ut non tantum in spiritualibus dulcescas, sed etiam contra vitia graviter amarescas. Calida est et sicca. Calida fervore bonæ voluntatis, sicca ab humore fluxæ cogitationis. Facit homines iracundos contra vitia, ingeniosos ad destruenda diaboli machinamenta, acutos ut subtiliter de rebus sentiant, leves ut audita cito percipiant. Est autem similis igni, æstati, calidæ juventuti: hæc enim sunt calidæ, et siccæ naturæ. Ut habes ex cholera rubra amari-



æni contra peccatum, ex juventute fortitudinem contra diabolum, ex igne claritatem, intellectu cognoscendi Deum, ex æstate ardorem diligere proximum. Purgationem habet per aures. enim libenter audis quod agere debeas, per cordis cholerae rubrae superfluitates purgatur in æstate. Quanto enim plus abundat as, tanto plus odio habetur iniquitas, quia igendi sunt homines, ut eorum non diligantiores. In hoc tempore melius se habent phlegmatici et senes; pejus cholericus, et juvenes. Sent phlegmatici, juvenes cholericus. Illi frigidae naturae; isti vero calidae et siccae sunt. igitur habent senes et phlegmatici si infirmus in æstate, id est, in contrario tempore. Cuius curari possunt, quia contrariis contraria vincunt. Juvenes autem et cholericus in simili tempore pejus habent si nimis alta sapiunt, si nihil relationis desiderio succensi calent. Unde in hoc tempore pessima est infirmitas, quae videlicet cholera, minus mala quae est ex phlegmate: augmentatur materia infirmitatis ex consimili ratione temporis. In eodem tempore utile est uti frigidis remediis. In tanto siquidem ardore charitatis vitandus est frigus praecedentis hiemis, id est, vitandus delinquentium ad confirmationem bonorum. Si enim stas, videas ne cadas (I Cor. x). Nam quanto gradus altior, tanto casus gravior. Tempero calidum frigido, siccum humido, et ne quando nimium caleas, attende Petri casum, et lacrymas.

*Egressus est Petrus, post lapsum flevit amare.* Uenerunt nobis illius et casus, et lacrymae. Ut ut hoc unguento, non enim adhuc melior es. Nimio calore flagrabat Petrus cum diceret: *Reportaverit me mori tecum, non te negabo* (Matth. xiv). Immensitas caloris erat nimia confixio ex nimio affectu amoris. Et ideo quia plus tunc quam debuit, exaruit dicens: *Non novi hominem* (Matth. xxvi). Oportuit igitur ut et ariditas temperaret, et flammam nimiae confidentiae temperaret. *Egressus enim foras flevit amare.* Petrus agnoscens interpretatur. Est autem casus Delphico Apolline dignum: Γνώθι σεαυτοῦ *nosce te ipsum.* Si enim qualis fuisti ante conversionem consideres, mox et ariditati tuae lacrymorum rorem infundas, et nimium calorem frigidatione temperes. In praedicto autem tempore id est in æstate, ascendit sol usque ad Cancrum et fit ibidem aestivale solstitium. Haec est sanctissima via nobis ab Apostolo demonstrata, et alibi dicitur: *Est fides, spes, charitas: prima autem his est charitas* (I Cor. xiii). In perie igitur charitatis fit solstitium, ut nihil diligas plusquam Deum. Vocatur Cancer signum veritatis, id est, conversivum, ut ab amore Dei revertaris ad amorem proximi. Hic est enim casus a Cancro ad Virginem, a ferventi amore veritatis ad castum amorem proximi. Sol autem in medio aestate tria signa dicitur obtinere: in principio Cancrum, in medio Leonem, in fine Vir-

ginem, ut habeat charitas in Cancro ad proximum conversionem compassionis, in Leone, vigilantiam circumspeditionis, in Virgine, puritatem dilectionis. Cancer retrograditur. Leo dormiens apertos oculos habet. Virgo est quae carnalem commistionem adhuc ignorat. In hoc itaque vigilet, qui ad amorem proximi convertitur, ut non propter aliud quam propter Deum proximus diligatur. Hujus autem temporis proprium est radices herbarum et arborum arefacere, dum nullo terrenae delectationis humore fidelium nutriuntur mentes.

CAP. VI. *De cholera nigra, atra bili, et melancholicis.*

Restat nunc ut de natura cholerae nigrae aliquid sub brevitate dicamus. Ipsa enim dominatur in sinistro latere. Habet autem sedem in splene, frigida est et sicca, facit homines iracundos, timidos, somniculosos, aliquando vigilantes. Purgationem habet per oculos. Crescit in autumno. In hoc tempore melius se habent sanguinei, pejus melancholici; pejus senes, melius pueri. Pessima est infirmitas quae nascitur ex melancholia, minus mala quae est ex sanguine. In hoc etiam tempore utendum est calidis et humidis. In cholera nigra, sicut alibi diximus, intelligi potest tristitia, ut pro his quae male gessimus tristes simus. Sed et alia species tristitiae dicitur esse, dum mens transeundi ad Deum desiderio cruciatur. Dominatur in sinistro latere, quia vitis subicitur, quae sunt in sinistra parte. In splene sedem habet, quia quamvis de dilatione caelestis patriae contristetur, tamen in splene quasi in spe gaudet. Ut enim legisse me recolo, testantur physici in splene generari risum. Ex hac igitur vicinitate satis congruum esse reor ut melancholici quandoque rideant, quandoque fleant. Frigida est et sicca, frigus et siccitas aliquando in bona significatione accipiuntur, aliquando in mala. In mala significatione frigus accipitur, cum dicitur: *Jam hiems abiit, et recessit* (Cant. ii). Ut in frigore hiemis attendatur torpor devotionis. In bona significatione ponitur, ubi dicitur: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (Psal. lxxv). Ut post aestum et dissolutionem transeamus ad requiem. Ignis siquidem urit, aqua dissolvit. Urit enim tribulationis adversitas, dissolvit blandientis mundi prosperitas. Vas autem igne consolidatum aquam non timet. Post transitum vero tentationis ducet nos Dominus ad refrigerium mentis. Similiter et siccum duobus modis accipitur. Unde et Psalmista: *Et siccam formaverunt manus ejus* (Psal. clxiv). Siccum vocat cordis nostri terram a malis humoribus dessicatam. Sed et aliter siccum intelligi potest, quando mentis ariditas caelesti, id est sancti Spiritus rore caret. Facit homines iracundos juxta illud: *Irascimini, et nolite peccare* (Psal. iv), Timidos, quia *beatus homo qui semper est pavidus* (Prov. xxviii). Aliquando somnolentos, aliquando vigilantes, id est, quandoque graves curis, aliquando vigilanter intentos caelesti-



bus desiderii. Similis est autumno, terræ et se-  
nectuti, ut imitetur in terra terræ stabilitatem, se-  
quatur in senio seniorum gravitatem, in autumno  
frugum maturitatem. Purgationem habet per oculo-  
los. Ab his enim vitiis, pro quibus tristes efficimur,  
si per confessionem ejecta fuerint, per lacrymas  
purgamur. Crescit in autumno, id est, in sensu  
maturo. In quantum enim plus attendis maturita-  
tem sensus et ætatis in tantum magis debet cre-  
scere immensitas doloris de peccati perpetrati-  
one. In hoc tempore melius se habent sanguinei, pejus  
melancholici. Pejus senes, melius pueri. Habuisti  
per sanguinem dulcedinem charitatis. Habes nunc  
per choleram nigram, seu melancholiam, tristi-  
tiam pro peccatis. In vere vitæ novitatem, in au-  
tumno maturitatem, ut temperetur maturitas vitæ  
novitate, vitæ novitas consilii maturitate. Ut novi-  
ter conversus pervenire desideret ad maturitatem  
perfectionis, et senex recogitet quam fervens fue-  
rit in initio conversionis. Si igitur sic in vere et  
autumno ætates et humores alternando conside-  
ras, in contrariis temporibus utrorumque naturas  
incolumes servas. Oportet etiam in hoc tempore  
uti calidis et humidis. Non enim sufficit ad con-  
servandam animæ sanitatem sicari ab humore  
voluptatum, et refrigerari ab æstu vitiorum, nisi  
etiam infundaris supernæ contemplationis rore,  
et sancti Spiritus amore simul accendaris. Solet  
in autumno sol tria obtinere signa, Libram videli-  
cet in principio, Scorpionem in medio, Sagittarium  
in fine. Nosti, charissime, quod autumnus ad ex-  
tremum maturos colligat fructus. Nosti etiam  
quod in hoc tempore contingat æquinoctium  
esse. Si igitur ad maturitatem pervenisti, si sponte  
non renuis ut botrus exprimi, si vinum es, si boni  
saporis, si in cellarium summi regis pervenire  
desideras, ut dicas : *Cupio dissolvi et esse cum  
Christo (Philip. 1)*, attende Libræ signum, attende  
solstitium. Libra enim æquali lance ponderat  
noctes et dies, id est bonas et malas operationes.  
Scorpius vero cauda minatur, aculeo pungit. Acu-  
leus siquidem in cauda dolor est in fine. Cum au-  
tem in senectutem perveneris, time quia pericu-  
lum imminebit mortis. Post Scorpionem autem si-  
gnum intrat sol Sagittarium. Sagittarius ex dua-  
bus naturis constat, ferina scilicet et humana. Su-  
perior pars homini, inferior fero assimilatur ani-  
mali. Qui enim rationabiliter vivunt, digni sunt  
cælo ; qui autem bestialiter, digni sunt inferno.  
Arcum tenet, sagittamque jactat. Est autem duplex  
arcus, est arcus Domini, et est arcus diaboli. Illi  
innituntur spirituales, isti animales. Intendunt  
enim *arcum suum peccatores, ut sagittent in [ob-  
scuro rectos corde] occultis immaculatum (Psal.  
x)*. Quos enim religionis locus et habitus immacu-  
latus occultat, occultis insidiis diabolus infestare  
non cessat. Habent etiam peccatores arcum occul-  
tæ malitiæ, et chordam nequitie. Habent et pha-  
retram, id est thecam, in qua portant sagittas,  
cogitationes videlicet perversas, *quoniam pecca-  
tores intenderunt arcum suum, paraverunt sagit-*

*tas suas in pharetra (ibid.)*. Sagittas parant, quia  
ad hoc student perversi ut subvertant. Sed *Dom-  
nus arcum conteret, et sagittas confringet (Psal.  
xlv)*. Est autem justorum arcus spiritualis intelli-  
gentia, chorda doctrina, sagittæ verba doctri-  
næ, pharetra memoria. Hunc arcum tetendit  
Dominus, et paravit illum. Arcum Dominus  
parat, cum nobis intelligentiam Scripturæ sa-  
cræ explanat. Ex hoc arcu mittuntur *sagittæ  
potentis acutæ (Psal. cxix)* : sic enim vulnerant  
ut corda transfigant. « Novit enim Dominus,  
ut ait Augustinus, sagittare ad amorem. » Ne-  
mo pulchrius sagittat ad amorem quam qui  
verbo sagittat. Sagittat enim ut amantem efficiat.  
Hac sagitta vulneratur Sponsa. *Vulnerata*, in-  
quit, *sum charitate [amore languero] (Cant. ii)*.  
Utinam et ipse percussus hoc jaculo moreretur huic  
mundo.

#### CAP. VII. De commistione elementorum.

Novimus quatuor elementorum, quibus omne  
corpus constituitur, duo esse levia, duo gravia,  
quorum unumquodque duas habet extremitates  
et unum medium. Ut ignis unam superiorem ha-  
bet extremitatem, quæ agilior, et subtilior, et le-  
vior est ; alteram inferiorem, quæ jungitur aeri,  
quæ minus est agilis, minus levis, minus subtilis ;  
et inter utrumque est temperamentum, sic et aer.  
Sic et superior extremitas aquæ, quæ jungitur  
aeri, minus gravis est, minus mista, minus obtu-  
sa, inferior magis. Medium inter utrumque tem-  
peramentum, similiter et terra. Sicut autem in  
elementis, sic et in qualitatibus eorum animadver-  
tendum est, scilicet in caliditate, frigiditate, hu-  
miditate, siccitate. Ex his enim commistiones fiunt  
in corporibus. Cum igitur gravia levibus, calida  
frigidis, humida siccis commiscantur, fiunt inde  
quæcunque fieri necesse est, prout eorum diversi-  
tas expetit. In quibusdam autem prævalent le-  
via, in quibusdam gravia. Sunt tamen quædam  
quæ omnino sunt igneæ naturæ, ut stellæ. Alio-  
rum vero prævalent superiores extremitates le-  
vium, et hæc sunt agiliora et leviora, et inde per  
aerem feruntur, ut volucres. Quarum quæ supe-  
riores extremitates superioris extremitatis levium  
habent, agiliores et leviores sunt, ut aquila, quæ  
medium, minus, ut grues, quæ inferiores gravio-  
res, ut anseres, struthiones. In quibus vero levium  
mediocritas præeminet, non adeo levia, sed me-  
diocriter levia sunt, ut majora quadrupedia, quo-  
rum quæ superiores habent illius medii extremita-  
tes, sunt leviora, quæ medium minus, quæ ulti-  
mum tardiora. In quibusdam vero levium extre-  
mitas inferior prævalet, et graviora sunt, ut repti-  
lia. Quorum quæ superiora illius extremitatis in-  
ferioris levium habent, agiliora sunt, ut serpentes ;  
quæ medium minus, ut bufones, quæ inferiora  
tardiora, ut testudo. In quibus vero graviora præe-  
minent, supradictis magis ponderosa sunt. In  
quibus vero primæ gravium extremitates præe-  
minent, minus sunt gravia, ut pisces. Quorum  
primam superioris extremitatis gravium qui ha-



bent extremitatem ; agiliores sunt, qui medium illius superioris extremitatis, minus ; qui ultimum tardiores. In quibus vero gravium præminet medium, terræ semper cohærent et crescunt, ut arbores et herbæ. Quarum quæ superiora habent illius mediæ gravium altius excrescunt, ut pinus et abies ; quæ medium illius mediæ gravium minus, ut coryli ; quæ inferiora parum, ut virgulta. In quibus extremitas inferiora gravium præminet, gravissima sunt, ut lapides et metalla. Vides nunc, charissime, ex commistione elementorum fieri diversitates rerum. Vides etiam, quod stellæ omnino sint igneæ naturæ. Hæ siquidem prælati assimilari debent, quia eorum mentes et amorem spirituali fervent, et bonis exemplis lucent. De his enim dicitur : *Qui ad justitiam multos erudiunt, quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt* (Dan. XII). Qui non tantum nostras tenebras verbo prædicationis illuminant, sed etiam superiorem locum præ cæteris servant. Vita enim præminent et bene operando limitem rectitudinis tenent. Sunt autem quidam prælati minoris meriti, qui ex merito vitæ assimilantur aquilæ. Aquila præ cæteris avibus in altum volat. Pullos suos ad volandum provocat, eosdem claritatem solis irreverberatis oculis aspicere cogit. Volentes id facere nutrit, nolentes e nido ejcit. Altius cæteris avibus tunc aquila volat, dum se pælatus a terrenis desideriis elongat. Pullos suos ad volandum provocat, quando subjectos sibi ad bene operandum verbis et exemplis invitat. Claritatem solis irreverberatis oculis eosdem pullos aspicere cogit dum ad contemplandam divinæ substantiæ claritatem mentes discipulorum trahit. Volentes id facere nutrit, quia eos qui Deum videre desiderant, verbo doctrinæ pascit. Nolentes ejcit : illos enim, qui a cognitione Dei oculos avertunt, expellendos e regno prædicat. Grues vero et anseres sunt diversi subjectorum ordines, qui in volando ordinem servant et gregatim volant : illos siquidem designant, qui et rectitudinem justitiæ tenent, et conventus amant. Longas tibias, et longum collum grues habent, sublevantur a terrenis, et silentium oris tenent. Sed et anseres qui garrulæ sunt aves, illis assimilari possunt, qui quamvis in quibusdam ordinate vivant, silentii tamen virtutem negligunt. Quæ sese rostris lacerant et conclamant, quia detrahendo sese invicem conviciis lædunt, et quandoque ex affectu mentis maledictis contendunt. Inter volucres et reptilia media sunt majora quadrupedia, quæ aliquantulum in altum se erigunt, nec tamen a terra longe recedunt. Usibus hominum deserviunt. Unde simplicioribus assignari possunt, qui quamvis terrenis inhient, spiritualiter tamen viventibus obsequium præbent. In quibus vero levium extremitas inferior prævalet, graviora sunt et reptilia ; quæ pectore et ventre repunt, quia voluntate cordis et voluptate carnis internis desideriis se conjungunt. Quorum quæ superiora illius extremitatis levium habent, agiliores sunt, ut serpentes, quæ medium minus, ut bufones, quæ

A inferiora tardiora, ut testudo. Habent autem hæc reptilia lumen venenum et aculeum, designant siquidem serpens, bufo et testudo quasdam diversitates hominum, qui continentur in mundo. Serpens videlicet astutos, bufo elatos, testudo desidiosos. Habent desidiosi limum terrenæ delectationis. Elati veinenum lividæ detractionis. Astuti aculeum pungentis invectionis. In quibus graviora præminent supradictis magis sunt ponderosa. Quædam tamen sunt gravia, quædam graviora, quædam gravissima. Gravia sunt, ut pisces ; graviora, ut herbæ et arbores ; gravissima ut metalla et lapides. Pisces assidue in aquis et luto jacent. Herbæ et arbores terræ radicibus inhærent. Lapides et metalla nisi abstrahantur ab ea, sub terra latent. Quasi pisces sunt in aquis, qui fluctuantis sæculi exagitantur curis. Sunt et alii quasi herbæ et arbores, totis desideriis terrenæ cupiditati tanquam radicibus adhærentes. Lapides vero et metalla sunt dura et incorrigibilia carnalium corda.

CAP. VIII. *De quatuor virtutibus humanæ complexionis ministrantibus.*

Docet physica quatuor esse virtutes humanæ complexionis ministrantes, videlicet appetitivam, retentivam, digestivam et expulsivam : ministrant enim virtuti nutritivæ. Virtus vero nutritiva ministrat generationi. Quod primum enim puer nascitur, necesse est ut lacte nutriatur, donec per incrementa temporis pasci valeat fortioribus alimentis. Puer igitur lacte nutritur quoties de humilitate Christi noviter conversus eruditur. Ex hoc siquidem ubere abstracto de sinu divinæ pietatis, propinatur teneritudini nostræ lac veræ humilitatis, donec illo pane charitatis possimus perfrui, de quo si assidue vesci studeas a nullo poteris superari. *Charitas enim omnia suffert, omnia sustinet* (I Cor. XIII), ita ut complexionem mentis fortem et incolumem conservet. Est autem diversitas inter delicias corporis et delicias cordis. Dum enim corporalis cibus in præsentem non habetur, corpus gravi desiderio et carnis affectu cruciatur. Dum vero habetur et comeditur, comedendo ad fastidium per saturitatem devenitur. Sed e diverso cibus spiritualis cum non habetur fit vilis, cum vero a comedente percipitur majori desiderio gustatus esuritur. In corporali igitur cibo appetitus saturitas fastidium generat. In spirituali vero appetitus saturitatem, saturitas desiderium præstat. In corporali saturitas nocet, fastidium displicet. In spirituali nec saturitas gravat, nec desiderium cruciat. Est itaque cibus vitæ verbum doctrinæ, quæ dum prædictæ virtutes ordinate ministrant, statum humanæ complexionis incolumem servant. Cibum ergo doctrinæ animus appetit, dum verbum prædicationis libenter audit et retinet, dum quod aure cordis percipit, in ventre memoriæ retentum jacet. Appetit, et retinet, et diligit, dum quod acceptum et retentum fuerat, in diversos humores, id est, in bonos mores convertit. Nec tamen appetit, retinet, et digerit, sed etiam expellit, si a-



quæ suis moribus non conveniunt, respuere non verit. Sin autem intus remanet quod expelli debuerat, etiam bene gestis corruptionem infert. Sed e diverso sunt quidam, qui cibum nullum appetunt, sed universos fastidiunt. Sunt alii, qui quoslibet cibos appetunt, sed acceptos celerius evomunt. Sunt et alii, qui appetunt et retinent, sed nullam per membra digestionem habent. Sunt iterum quidam, qui appetunt, retinent, digerunt, sed quod expelli debuerat per secretum naturæ non expellunt. Qui cibum doctrinæ non appetunt sed fastidiunt, diu vivere nequaquam possunt. De his siquidem dicitur : *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis (Psal. cvi)*. Qui enim audire renuunt verbum prædicationis, jam ad ingressum festinant æternæ damnationis. Qui autem appetunt nec retinent cibum, projicientes illum e ventre memoriæ lacescente mentis stomacho, diu languent. Sunt alii, qui appetunt et retinent, sed per membra non digerunt, quia quod venter memoriæ retinet, in bonos actus non convertunt. Qui autem non expellunt quod debuerat expelli, ii sunt qui quod suis moribus non convenit, incorporant sibi. Dum igitur prædictæ virtutes suo ordine non ministrant, a statu suæ incolumitatis naturam mutant. Notandum est etiam, quod quatuor prædictæ virtutes ex quatuor elementis attrahunt sibi vires. Cum enim elementa conjungentur in aliquo corpore habilia membra habente, cum ignis calidus et siccus sit virtutis appetitivæ, terra frigida et sicca retentivæ, aer calidus et humidus digestivæ, aqua humida et frigida expulsivæ, necessario contingit ut ex natura sua ignis attrahat, terra quod ignis attrahit retineat ex natura sua quod terra retinuit aer dissolvat ex natura sua, aqua quod aer dissolvit emolliat. Considerandum etiam, sicut supra diximus, per ignem significari intelligentiæ claritatem, per terram mentis firmitatem, per aerem vitæ puritatem, per aquam discretionis mobilitatem. Dum enim intellectus ardori spiritali succensus cœlestia cogitat, spiritalem appetitum in mente creat, et fit desiderium in corde hominis, ut avide quærat cibum sanctæ exhortationis. Quod autem appetitus per intellectum attrahit, stabilitas animi firmiter custodit. Et quod animus firmiter conservat, puritas mentis per bonos mores fideliter ordinat. Quod vero suis moribus non convenit, discretio separat, removet et expellit. Et sic a temperamento animus non recedit, sed temperamentum servans peccati morbo non succumbit.

CAP. IX. *De medico et novem modis signorum bonum vel malum portendentium.*

Oportet medicum quasi prophetam esse, ut non solum de præsentibus, sed etiam de præderitis et futuris possit judicare, ut præsentem cognoscat infirmitatem et infirmitatis occasionem, ut sciat quæ sit morbi materia, vel quæ morbi sit causa, ut tandem per præsentia signa cognoscat morbi finem, mortem videlicet vel sanitatem. Sunt au-

tem novem modi signorum bonum vel malum significantium, quos Hippocrates in *Prognosticis* commemorat, et de quibus in eodem libro plenarie tractat. Primus modus est fortitudo infirmi suum morbum facile tolerantis ; contrarium cuius est debilitas infirmi suum morbum pati nequentis. Secundus levitas infirmi facile se moventis ; contrarium gravitas infirmi inertem et pigrum motum habentis. Tertius effigies membrorum sibi sano, id est, dum sanus erat similis ; oppositum ejus distributio membrorum effigiei non sibi sano similis. Quartus sanitas mentis et facilis appetitus : oppositum ejus perturbatio mentis, et difficilis appetitus. Quintus bonitas somni in tempore congruo facti, et infirmum juvantis ; oppositum ejus malitia somni in non congruo tempore facti, et infirmo nocentis. Sextus suavitas spiritus ; oppositum ejus angustia spiritus. Septimus æqualitas pulsu naturali similitatis oppositum ejus inæqualitas, ut modo sit magnus, modo parvus, modo fortis, modo debilis. Octavus fortitudo virtutis in loco decoctionis ; oppositum debilitas virtutis in loco decoctionis. Nonus laudabilis purgatio purgans cum sudore vel cum urina ; oppositum ejus vituperabilis purgatio. Sicut ergo superius diximus, oportet medicum quasi prophetam esse, ut non solum de præsentibus, sed etiam de præteritis et futuris possit judicare. Medicus autem moraliter est quilibet prælatus qui, sicut medicus corporaliter infirmos, ita debet spiritualiter curare subjectos. Sicut enim morbus in carne, sic peccatum est in mente. Oportet igitur ut spiritualis medicus attendat peccati materiam : attendat et causam, ex qua videlicet occasione procedat, et ad quid tendat, ut destruat causam, subtrahat paulatim materiam, videat utrum ex ipso peccatum processerit, an ex alio. *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala (I Cor. xv)*. Ut vero subtrahat occasionem peccandi expellat e consortio bonorum perversum fratrem, ne « contagium serpat, » et, ut ait beatus Augustinus, « ne contagione pestifera plurimos perdat. » Oportet item ut medicus perpendat ex ægri facie signa conscientiæ. Unde Hippocrates in *Prognosticis*. « Primo, inquit, ægri faciem pernotabis. Pro ratione nominis nota Hippocrates *equi rector* interpretatur. Prognostica autem futuræ significationis judicia proprie dicuntur, præsentis vero et futuræ improprie. Hippocrates igitur *equi rector* dicitur. Equus autem temperatæ naturæ a physicis creditur esse. Inde est et in pace quietus, et ad bella paratus, quia *bello armantur equi (Æneid. iii)*. Necessesse est autem ut habenis regatur equus. Similiter necesse est ut spiritalis medicus, videlicet quilibet prælatus, animum hominis interioris habenis regat discretionis, ne, si modum æquitatis excedat, morbum dissolutionis incurrat. Unde de illo summo medico dicitur : *Æquitatem vidit vultus ejus (Psal. x)*. *Æquitatem videt, quia animum temperatum diligit. Æquitatem videt, quia eam diligit qui in proposito bonæ operationis ma-*



net. *Æqua est enim via Domini. Æquitas viæ est temperamentum vitæ. Unde David : In æquitate tua vivifica me (Psal. cxviii). Æquitas vitæ vivificatio est animæ.*

**CAP. X. De primo modo in speciali.**

Est autem primus modus signorum bonum vel malum significantium fortitudo infirmi suum morbum facile tolerantis, vel debilitas infirmi suum morbum pati nequeuntis. Infirmatur qui tentatur; moritur qui desperat. Licet igitur aliquis interdum peccet, si tamen adeo fortis remanet, ut a bono opere non cesset, signum est hæc boni fortitudo infirmi. Sin autem ægri animus adeo fuerit debilis ut cesset ab affectu bonæ operationis, signum est mortis et futuræ damnationis.

**CAP. XI. De secundo modo.**

Secundus modus levitas infirmi facile se moventis, vel gravitas infirmi inertem motum habentis. Cum homo interior aliqua tentatione affectus labitur, si adeo levis est, ut facile ad virtutem convertatur, recuperandæ salutis spes tribuitur; sin autem tanta est gravitas infirmi ut obstinatus nequeat a peccato converti, signum mali est eventus, sempiterni videlicet interitus.

**CAP. XII. De tertio modo.**

Tertius modus est effigies et dispositio membrorum sibi sano similis, vel distributio membrorum effigiei non sibi sano similis. Effigies membrorum est in interiori homine compositio morum, et in membris externis distributio actionum. Qui homo tunc est sibi sano similis, quandiu actiones sequuntur temperamentum religiosæ mentis. Tunc vero non est sibi sano similis, quando variatur per opera perversitatis.

**CAP. XIII. De quarto modo.**

Quartus modus est sanitas mentis, et facilis appetitus. Vel perturbatio mentis, et difficilis appetitus. Sanæ mentis esse dicitur, qui a rectitudine consilii non alienatur. Facile vero cibum appetit, qui verbum vitæ (quod est cibus animæ) libenter audit. Qui autem est turbatæ mentis, et cujus est appetitus difficilis, si verbum vitæ non appetat, necesse est ut mortem perpetuæ damnationis incurrat.

**CAP. XIV. De quinto modo.**

Quintus modus est suavitas somni tempore congruo facti, et infirmum juvantis, vel malitia somni non congruo tempore facti, et infirmo nocentis. Tempore congruo dormit, qui dormit in nocte, id est, qui tranquillæ mentis est in adversitate. In hac quiete Deum somniat, et hujusmodi somnus infirmum juvat; dormit vero in non congruo tempore, qui dormit in die, id est, qui delectatur in mundana prosperitate. Hic enim somnus quanto magis placet tanto magis infirmo nocet.

**CAP. XV. De sexto modo.**

Sextus modus est suavitas spiritus, vel angustia spiritus. Suavitas spiritus, id est, interioris hominis est sermo consolatorius, ut cum lenitate pec-

cantem corripiat, et emendet. Angustia vero spiritus est sermo durus, de quo dicitur: *Vos autem cum austeritate imperabitis eis, et cum potentia (Ezech. xxxiv).*

**CAP. XVI. De septimo modo.**

Septimus modus est æqualitas pulsus naturali similitantis, vel inæqualitas pulsus, ut modo sit magnus, modo parvus, modo fortis, modo debilis. Arteriæ procedunt a corde, æqualitas pulsus in arteriis est identitas vitæ, procedens ex affectu cordis. Cum autem mens in contrarium vertitur, tunc per diversos motus inæqualitas mentis designat periculum mortis.

**CAP. XVII. De octavo modo.**

Octavus modus est fortitudo virtutis in loco decoctionis, vel debilitas virtutis in loco decoctionis. Primus decoctionis, locus est stomachus, hepar secundus, cætera membra tertius. Cum autem cibus animæ decoquitur in stomacho memoriæ per recordationem, in calore hepatis per dilectionem, in cæteris membris per operationem, tunc fortitudo virtutis est in loco decoctionis. Si vero sequitur debilitas virtutis, signum est mortis.

**CAP. XVIII. De nono modo.**

Nonus modus est laudabilis, vel vituperabilis purgatio per sudorem. Sicut enim in quolibet infirmo aperiuntur carnis pori, ut per sudorem fiat purgatio morbi, sic per confessionem peccati fit laudabilis purgatio animi. Laudatur etiam sudor mediocris si habeatur in omnibus membris. Cum vero sudor a toto manat corpore, omnium membrorum fortitudinem (quod est signum boni) designat. Similiter oportet ut sudor confessionis fiat de peccato cujuslibet operationis. Sed cum sudor fit tantum in quadam corporis parte, velut in capite, id contingit ex membrorum debilitate. Meritaliter autem per ægrum intelligimus animum, per caput intensionem, per reliquum corpus actionum sequentium distributionem, per sudorem confessionem. Cum igitur aliquis intensionem suam laudat, et hoc quod male gessit sibi conscius, creditur excusat vituperabilis esse hujus purgatio sudoris, quia sudor confessionis poros non aperit, quos excusatio clausos per obstinationem stringit.

**CAP. XIX. De dolore capitis.**

*Caput meum doleo, dixit puer patri suo (IV Reg. iv).* Cum autem caput sit principale membrum hominis, per ipsum significatur opus principale mentis, dolor vero capitis est appetitus mundanæ felicitatis. Quæ ideo dolor esse dicitur, quia quæritur cum labore, possidetur cum timore, amittitur cum incero. Per puerum intelligimus puritatem cujuslibet pœnitentis animæ. Puer igitur caput suum dolet, cum puritatem animæ de transgressione mentis pœnitet. Sed prædictus puer bis caput suum doluit, dum puritas animæ de delectatione et consensu peccati flevit. *Convertetur dolor ejus, inquit David, in caput ejus (Psal. vii).* Dolor item capitis est morbus nimie cupiditatis. Qui dolor in caput converti-



tur, quando mens desiderio rerum temporalium A anxie cruciatur. *Ecce, inquit, parturit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem (ibid.)*. Concepit dolorem mali desiderii in cogitatione, parturit injustitiam circumveniendo fratrem in locutione, male possidendo peperit iniquitatem in operatione. Hic autem dolor aliquando nascitur ex calore, aliquando ex tumore. Calor est nimis cupiditatis ardor, ut igitur sanus fias, morbi materiam subtrahere non omittas. *Dispersit, inquit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, etc. (Psal. cx1)*. Qui pauperibus tribuit, nullius temporalis commodi retributionem quærit. Si igitur largiendo quæ possides, contempseris mundum, anxie cupiditatis minues appetitum. Nec tantum materiam morbi subtrahes, sed etiam B oleo rosaceo caput unges, hujusmodi siquidem oleum frigidæ naturæ dicitur esse. Rosaceum vero oleum est cruor martyrum. Dum enim passiones sanctorum legis, oleo rosaceo caput ungis. Sed antequam oleum infundas oportet caput radere, id est, superflua resecare, et sic faciens simul materiam morbi destruis, et fomento frigidi olei fervorem calorem premis. Euge igitur æstum carnis, quære umbram divinæ protectionis. Roga summum medicum, et dic : *Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. Ne tradas me a desiderio meo peccatori, etc. (Psal. cxxxix)*. Repetitio nominis affectum suscitatur pietatis. *Virtus, inquit, salutis meæ*. Ipse enim cui libet homini dat vires salvandi. *Ipse enim C est refugium, et virtus adjutor in tribulationibus quæ invenerant nos nimis (Psal. xlv)*. *Obumbrasti super caput meum in die belli*. Dies belli est prosperitas mundi. Quæ dies belli esse dicitur, quia caro adversus spiritum in eo quotidie pugnat, et multoties alter ab altero superatur. Calor diei est calor mali desiderii. Superponit igitur capiti, id est, menti summus medicus umbram, id est, patientiæ perseverantis sustentiam, ne nimius calor mali desiderii mentem gravet, ne a desiderio suo justum peccatori conformet.

Dolor etiam capitis ex tumore nascitur, quoties ex abundantia boni operis animus gloriatur. Tumor siquidem capitis est elatio mentis. Et qui oderunt te extulerunt caput (Psal. lxxxii). Extollentia capitis est superbia mentis. Qui oderunt te, inquit, qui odiunt non obediunt. Qui autem diligit, libens obedit. Unde Dominus : *Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum servabit, (Joan. xiv)*. Exhibitio autem operis indicium est dilectionis. Oportet autem oleo violaceo caput ungere, ut possis calorem tumoris mitigare. Viola est humilis herba, quæ dum de terra nascitur, non procul terra proceritate separatur. Oleum igitur humilitatis sedabit superbiam mentis. Cave tamen ne oleum peccatoris impinguet caput tuum (Psal. cxl). Oleum peccatoris est blandimentum adulationis. Hoc autem tumorem capitis non destruit, sed auget et nutrit. Ut autem ad plenum sanare possis tumoris morbum, habe tecum Salomonis oleum.

Ait enim : *Oleum de capite tuo non deficiat (Eccli. ix)*. Unde Gregorius : « Non deficiat oleum de capite, » id est, charitas de mente.

#### CAP. XX. De dolore verticis.

*Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet (Psal. vii)*. Superius diximus caput interioris hominis esse mentem, nunc autem verticem capitis possumus appellare mentis rationem. Sicut enim vertex capitis in dextram et sinistram partem capillos dividit, sic ratio mentis bonas et malas cogitationes discernit. In verticem hominis iniquitas descendit, dum malitia peccati rationem sibi subjectam premit. Sed hæc infirmitas verticis, id est vertigo capitis hoc modo solet fieri, ut caput in duas partes videatur scindi. In duas partes caput scinditur, dum ratio mentis ad diversa partitur. Oportet autem si hæc infirmitas contingat alicui, ut caput infirmi vitta ac fascia, id est panno lineo jubeamus stringi. Caput autem vitta, vel panno lineo stringitur, dum mens vitta, id est doctrina correctrice ligatur. Hoc enim medicamine agitur, ut mentis ratio ad unum colligatur. Unde et Psalmista : *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capitis [capilli] perambulantium in delictis suis (Psal. lxxvii)*. Capita inimicorum sunt mentes superbiorum, vertex capilli est versutia quæstionum in disputatione subtili. Quæ ideo vertex capilli esse dicitur, quia per quamdam similitudinem, subtilitati capillorum moraliter comparatur. Cum autem mens per diversas quæstiones spargitur, lites generantur. Sed ut dicitur, lis per litem male dirimitur. Oportet autem ne huic infirmitati auxilium medicinæ desit, quia hujusmodi morbus velut cancer serpit. Unde per Apostolum dicitur ad Timotheum : *Profana et vaniloquia devota, multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit (II Tim. ii)*. Et paulo post : *Stultas autem et sine disciplina quæstiones devota, sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes (ibid.)*. Solet autem infirmitati vertice dolentium nocere multiloquium. Sed ut infirmo perfectum possis præstare remedium, pro electuario et pharmaco optimo ori ejus impone silentium.

#### CAP. XXI. De capillis cadentibus.

Capillus ex fumo grosso et calido nascitur, qui ex igneis et incensis est humoribus. Quo crescente crescunt et capilli, utpote ab ipso nutriti. Hunc fumum qui perdiderit, et capillos perdit. Pro qualitate ergo fumi erunt capilli, sicut in herbis videmus, ex terræ siccitate, vel humore rarescentibus, vel sese augmentantibus. Quod si fumus omnino defuerit, pereunt in hominibus capilli, et fiunt calvi. Quibus nullæ medicinæ subveniunt, ut amplius comæ crescant. Si autem fumus ex toto non amittatur, sed solum ex aliquo humore inficiatur, infirmitas quædam nascitur, quæ alopecia, seu alopecia vocatur. Hic autem morbus ideo alopecia dicitur, quia



vulpes, quæ Græce ἀλώπεκες alopecæ nuncupantur, A hunc sæpe patiuntur. Sicut autem superius diximus, mens est caput interioris hominis, capilli vero capitis sunt discretæ cogitationes mentis. Prædictus autem fumus moraliter est providentia habita de rebus futuris. Ex fumo enim capilli, qui caput tegunt, quotidie crescunt, et ex providentia discretæ cogitationes prodeunt, quæ secretum mentis abscondunt. Qui autem hoc fumo caret, calvus fiet. Similiter animus, qui in agendis rebus providentiam non habet, calvus apparet. Nec discretæ cogitationes mentem cooperiunt, sed quod interius latet, exterius videntibus apertum reddunt. Nullæ vero medicinæ proderunt, ubi discretæ cogitationes desunt. Si autem fumus ex toto non amittitur, sed solum ex aliquo humore inficiatur, B et infirmitas nascatur quæ alopecia vocatur, ex calore cutis illius loci poterit cognosci ex quo humore hæc infirmitas oriatur. Si enim activa est, calida et sicca, non dubitamus ex cholera exortam esse rubra. Sicut autem in Passionario legitur, oportet, ut myrobalano, id est unguentaria glande, viola, absinthio, et his similibus medicetur. Myrobalanum oculorum prodest visui. Viola est humilis herba. Absinthium est amarissimum. Hæc enim tria cum suis similibus providentiam mentis juvant, ut capilli, id est cogitationes discretæ crescant, nec defluant. Oportet enim, ut oculis cordis peccati morbum diligenter inspicias; humiliter confitearis, amare pœniteas. Hoc autem medicamine facies, ut inhæreant capiti capilli, id C est providæ cogitationes. De capite siquidem capilli quandoque defluunt, et in terram cadunt, et hoc fit quoties cogitationes mentis terrenis inhiant, et terrena concupiscunt. Inhærent vero capiti, quoties inhærent divinæ majestatis contem-

plationi. Unde in Canticis dicitur: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad (Cant. iv)*. Per capillos intelligitur subtilitas cogitationis, comparata capris, quia, ut capræ, excelsa petit, et si quando temporali astringitur necessitate, non tamen ab æterno bono excidit intentione.

CAP. XXII. *De dolore frontis.*

*Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere (Jer. III)*. De adultera muliere propheta loquitur, ut de ea quasi dolens conqueri videatur. Per eam siquidem animam sermo divinus intelligit, quæ Deum videre desiderans frontem pudicitie simplicitatis velamine tegere consuevit. Si autem peccati morbus eidem advenerit, per impudicitiam frontem discoopertam gerit, et quæ prius juste vixerat, abjecto simplicitatis velamine peccatum prædicare non cessat. Quod si in religione alicui contingat gravioris culpæ, sæcularibus incitamentum præstat. Quanto enim gradus altior, tanto casus gravior. Unde per Isaiam dicitur: *Erubescere, Sidon, ait, mare (Isa. xxiii)*. Unde Gregorius: «Plerumque, inquit, ex actione sæcularium confunditur actio religiosorum, dum illi ultra habitum assumunt opera, et isti juxta ordinem proprium non excitant corda.» In Sidone quippe figuratur stabilitas religiosorum, in mari vero vita sæcularium. Quasi ergo per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparisonem vitæ sæcularium, religiosorum, qui muniti, et quasi stabiles cernuntur, vita reprobat. *Noluisti, inquit, erubescere*. Erubescere noluit, qui pœnitere recusavit. Rubor igitur frontis est pudor pœnitentis. Si quis igitur ab hac infirmitate curari desiderat, necesse est ut emplastrum verecundiæ fronti superponat.

*Finis libelli De medicina animæ quatenus exstare compertus est: nam de plurium morborum et ægritudinum curatione spirituali, ut ex prologo patet, agere constituerat.*

## DE NUPTIIS LIBRI DUO

Quorum prior est de nuptiis carnalibus vitandis; posterior, de nuptiis spiritualibus amplexandis.

### PROLOGUS

Dum te, charissime, mundi hujus agitari fluctibus conspicio, timeo ne aut pondere divitiarum pressus, aut juventutis impetu compulsus, periculum Scyllæ voraginis incurras. Amor etenim mulieris est quasi quædam vorago mortis, velut unda submergens. Ligat amor mulieris, sed tunc gravius cum indissolubiliti nodo conjugii stringitur. Mittimus ergo summitatem funiculi spiritualis ut traharis, ne vinculo conjugii tenearis. Summitas funiculi spiritualis est sermo sanctæ exhortationis. Hoc funiculo Jeremias infixus in limo cisternæ veteris extractus respiravit (*Jerem. xxxviii*). Trahitur Jeremias et educitur de cisterna et mundatur a contagione luti, cum modo peccator exiens per pœnitentiam absolvitur a labe peccati. Jeremias trahitur funiculo involuto veteribus pannis, nos autem veterum Patrum trahimur exemplis. Audi igitur, dilecte mi, quæ sunt incommoda nuptiarum, nec philosophorum tantum, sed etiam divinorum monitis acquiesce; utrorumque enim exempla posituri sumus.